

et trina: neq[ue] enim uno loco circumscribenda erat doctrina, sed ubiq[ue] diffundēdi erant ratiōes sermonis. Vide autem quomodo practicā doctrinam coniungat. Prædicat enim & dæmonia eiicit: sic & tu quoq[ue] quum docueris, etiā opera bona fac: ne uanus sit sermo tuus. Nisi enim Christus & miracula adiecisset, uanus fuisset habitus sermo eius.

Et uenit ad eum leprosus deprecans eum, etq[ue] ad genua accidens, ac dicens illi: Si uis potes me mundare. Iesus autem misertus, protensa manu, tetigit illum, & dicit ei: Volo, mundus es. Et quum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Fidelis erat leprosus ille, & bene sentiebat: quia nō dixit, ut petat deum: sed, si uis: credens in eū tanquam deum. Tangit autem eum Christus, ut doceat nihil immūdum esse. Lex enim iubebat non tangendum leprosum ut immūdū: sed saluator ostendēs nihil esse immūdum natura, & abolendam legis obseruationem, & quod illa puris hominibus data fuerit, tangit leprosum: quamuis Elizæus usq[ue] adeo legē obseruauerit & reueritus fuerit, ut Naaman leprosum, & sanari petentem, ne respiciendum quidem putarit. 4. Reg. 5.

Et comminatus ei, statim emisit illum, dicitq[ue] ei: Vide ne cui quicquam dicas: sed abi, te ipsum ostende principi sacerdotum, & offer pro emundatione tui, quæ præcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus, coepit prædicare multa, & diuulgare sermonē, ita ut nō posset Iesus manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis erat, & ueniebant ad eum undiq[ue]. Et per hæc docemur, ne ad ostentationē bona faciamus. Ecce ipse prohibebat purificato, ne ipsum prædicaret, tamen si nō ignoraret illū nō obtēperaturum, sed prædicaturum. Verū p[er] hæc, sicut dixi, docet nos alienos ab arrogantia esse. Et prohibet ne cui quippiā dicamus, quāuis deceat eū q[uod] beneficio affectus est, gratū esse & officiosum, etiam si non indigeat is qui bene meruit. Vnde leprosus etiam prohibente domino beneficium prædicauit. Misit autem illum ad sacerdotem, eo quod lex præceperat, non licere leprosum in ciuitatem ingredi, nisi à sacerdote mūdus esset declaratus. Prōinde & donum quod solebant purificati, offerre iussit: quo testaretur se non esse aduersarium legis, sed adeo amicum, ut & leproso ea quæ legis sunt præciperet. Leuit. 14.

CAPVT II.



Iterum intrauit in Capernaum post dies aliquot, & auditum est quod in domo esset, & protinus congregati sunt multi, adeo ut iam non caperent eos nec illa loca quæ erant circa ianuam, & loquebatur eis sermonem. Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur: & quum non possent appropinquare illi præ turba, nudauerunt tectum adium, in quibus erat, perfolloq[ue] tecto funibus demittunt grabbatum, in quo paralyticus decumbebat. Quum autem uidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, remittantur tibi peccata tua. Magna illorum fides, ut & tectum aperirent & demitterēt: idcirco & dominus sanat, eorum fide uisa: fide inquam tam eorum qui illum gestauerant, quàm paralytici ipsius. Etenim ipse nō permisisset se tolli, nisi sanādum se credidisset. Sæpe enim propter offerentis fidem sanat eos, qui afferuntur, incredulos: sæpe etiam ediuerso propter eum qui affertur, tamen si increduli sint qui afferant. Primum autem peccata dimittit infirmo, & morbū sanat. Nam ex peccatis difficiliōres morbi oriri solēt: sicut quēdā apud Ioannē dominus dicit, ob peccata in paralytin incidisse. Non est em̄ unus apud Ioannē, & cuius nunc fit mentio. Nam qui apud Ioannem, non habebat hominem: hic autē de quo nunc loquitur, à quatuor ferebatur: & ille in piscina probatica, hic autem nūc in domo, & aliæ quædam differētiæ sunt. Verum scias unum esse & illum apud Matthæum, & hunc de quo nunc fit mentio. Ioan. 5. Matth. 9.

Erant autem illic quidam de scribis, sedentes & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus deus? Et protinus ubi cognouit Iesus spiritu suo, quod sic cogitarent intra sese, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Vtrum est facilius, dicere paralytico, remittantur tibi peccata: an dicere, surge, & tolle grabbatum tuum & ambula? Vt autem sciatis, quod filius hominis habet potestatem in terra remittēdi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, ac tolle grabba

tum tuum, & abi in domum tuā. Et statim surrexit, sublatoq; grabbato, egressus est in conspectu omnium, adeo ut stupeficerent omnes, & glorificarent deum, dicentes: Nunquam sic uidimus.] Pharisei quidem arguebant dominum ut blasphemum, quod remitteret peccata. Solius enim dei est remittere peccata. Dominus autem & aliud dedit indicium, deum se esse uerum, nempe corda illorum cognoscens. Nam & corda omnium cognoscere, solius dei est: sicut & propheta dicit, Tu nosti corda solus. Illi tamen etiam reuelatis cordium suorum cogitationibus permanent insensati ac stupidi, non concedentes, posse remittere peccata illum qui corda ipsorum norat. Fidem igitur facit ac stabilit, corpus sanando posse se & animam sanare: atq; adeo manifestum per id quod obscurum erat confirmat, & per facile difficilius, tamen non ita uidere illis. Pharisei enim difficilius putabant corpus sanari, id quod uidebant: facilius uero animam, eo quod occulta esset sanatio. Atq; fortassis talia cogitabant: Ecce hic impostor ut euadat ne curet corpus quod in manifesto, prætexit quod curet animam quæ in occulto, dicens: Remittatur tibi peccata. Omnino enim si posset sanare corpus, non confugeret ad id quod ignoramus. Quocirca saluator ostendens se utrumq; posse: Quid est facilius, inquit, sanare corpus uel animam? Omnino curare corpus: sed uobis uidetur contrarium. Ego igitur curando corpus, id quod reuera facile est, & difficilius uobis faciam credibile, nepe animæ curationem: id quod reuera difficile, sed quia in occulto fit & reprehendi nequit, uidetur facile. Tunc igitur dicit paralytico: Surge, & tolle grabbatum: ad maiorem miraculi confirmationem, quod non apparenter sanatus sis: & ad declarandum quod non solum sanarim, sed & uirtutem indiderim. Sic quoq; facit & in morbis animæ. Non solum liberat nos ab infirmitatibus, sed & uirtutem infundit, ut operemur mandatum. Possum igitur & ego, quum sim paralyticus, sanari. Est enim & nunc Christus in Capernaum domo consolationis, hoc est ecclesia. Domus enim paracleti dicitur ecclesia. Sum autem paralyticus, quia non operantur & immobiles sunt uires animæ meæ ad bonum: sed si à quatuor Euangelistis gestatus & adductus fuero ad dominum, tunc audiam: Fili. Filius enim dei sum per mandatorum operationem, & remittuntur mihi peccata. Sed quomodo adducar ad Iesum? si tectum perfodero. Quod est tectum? mens, quæ suprema nostri portio est. Hæc habet multum terræ & luti, negotiorum inquam terrenorum: cæterum ubi hæc deposita & perfossa in nobis mentis uirtus, & exonerata fuerit, debeo demitti, hoc est humiliari. Tunc igitur sanabor, & tollam grabbatum, hoc est corpus, ad mandatorum operationem ipsum mouens. Non enim à peccato solum nos suscitari oportet, & intelligere quod peccamus: sed & lectum, hoc est corpus ad operationem boni tollere. Tunc igitur & ad contemplationes uenire poterimus, ita ut omnes nostræ cogitationes intra nos dicant: Hactenus nunquam tale uidimus, id est nunquam sic intelleximus, sicut nunc quando paralytici curati sumus. Qui enim à peccatis purificatus est, ille uere uidet.

Et egressus est rursus ad mare, omnis que turba ueniebat ad eum, ac docebat eos. Et quum præteriret Iesus, uidit Leui Alphaei filium, sedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me. Isq; surgens, sequutus est eum. Et factum est, quum accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi, qui sequuti fuerant eum. Et scribæ ac pharisei quum uidissent eum cæpiantem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius: Quid est, quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito Iesus, ait illis: Non opus habent qui ualent medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad poenitentiam.] Post miraculum paralytici egreditur ad mare, fortassis solitudinem querens, ac turba iterum concurrat: ut discas quod quanto magis gloriam fugeris, tanto illa magis te sequetur: at si tu illam sequeris, illa à te fugiet. Igitur dominus ut ad mare secessit, turba illum iterum sequuta sunt: alioqui non illuc fugisset. Et præteriens cepit Matthæum, qui dynomius erat. Lucas quidem & Marcus duorum fuisse nomen testantur, obtinentes eius nomen: ipse autem non erubescit suum nomen proferre. Vidit enim (inquit) Iesus Matthæum publicanum. sic & nos quoq; nostra peccata confiteri non erubescamus. Sedit autem in teloneo, ut uidetur, exigens à quibusdam uel

rationem

rationem faciens, uel aliquid faciens eorum, quæ solent in officinis suis publicani agere. Ille autem ita excitatus est, ut relictis omnibus, Christum sequeretur, latans que conuocaret multos ad conuiuium. Pharisei autem taxant, per hoc se mundos facere studentes. At dominus inquit: Non ueni ut uocarem iustos, hoc est uos, qui uos ipsos iustificatis, per ironiam enim hoc dicit. Sed peccatores, qui uocantur non ut maneant peccatores, sed ad poenitentiam, hoc est conuersionem. Vnde hoc adiicit, ne existimes absque sui emendatione uocari peccatores.

Et discipuli Ioannis ac phariseorum ieiunabant, ueniuntque, & dicunt illi: Quare discipuli Ioannis & phariseorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Et dixit illis Iesus: Num possunt filij thalami nuptialis, in quo cum illis sponsus est, ieiunare? Quandiu habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies, quum auferetur ab eis sponsum, & tunc ieiunabunt in illis diebus.] Discipuli Ioannis imperfectiores adhuc Iudaicis moribus studebant: unde quidam accedebant ad Christum, ut denunciarent hoc illos agere, & taxabant quare discipuli eius non ieiunarent, sicut ipsi. At hic nunc quidem dicit: Sponsus sum ego, & oportet illos bono esse animo, & non ieiunare: ubi autem ego est uita hac ablati fuero, tunc ingruent tentationes, & ieiunabunt ac affligentur. Proinde sponsum seipsum uocat, non solum quod desponsat uirgines animas, sed & quod tempus primi sui aduentus, non tempus luctus neque austeritatis est his qui in illum credunt, neque labores habens: sed facile & absque operibus legis per baptismum refocillans nos. Quales enim labor baptizari? attamen per facilia hæc salutem inuenimus. Filij autem thalami, apostoli, utpote & ipsi dominicum gaudium assequuti, & omnis celestis boni ac uoluptatis totius participes. Intellige & hic, quod omnis homo, quando uirtutem operatur, filius est thalami nuptialis. Quandiu igitur habuerit secum sponsum Christum, non ieiunat, hoc est non ostendit opera poenitentiae, neque enim cecidit: quando autem Christus fuerit ablati ab eo, prolapsusque fuerit in peccatum, tunc ieiunat & poenitentiam agit, ut à peccato sanetur.

Et nemo assumentum panni rudis assuit uestimento ueteri: alioquin aufert supplementum eius nouum à ueteri, & peior scissura fit. Et nemo mittit uinum multum in utres ueteres, alioqui disrumpit uinum multum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: sed uinum multum in utres nouos mitti debet.] Quod dicit: Sicut si panis rudis, hoc est nouus assuatur uestimento ueteri, discindit illud sua firmitate, uinumque nouum sua aestuatione utres ueteres disrumpit: ita & discipuli mei nondum facti sunt fortes, atque ita si grauauero ipsos, offendam. Veterem enim legem confert uestimentis ob crassam Iudeorum intelligentiam. Non oportet igitur illos graui ieiuniorum præcepto onerare. Vel & sic intellige, Discipuli Christi quum sint noui, non possunt seruire priscis moribus & legibus.

Et accidit, ut transiret sabbatis per segetes, & coeperunt discipuli eius inter uiam uel lere spicas: & pharisei dicebant ei: Ecce cur faciunt sabbatis quod non licet? Et ipse ait illis: Nunquam legis quid fecerit Dauid, quum opus haberet, & esuriret ipse & qui cum eo erant: quomodo ingressus sit in domum dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus, & dederit etiam ijs qui secum erant? Et dicebat illis: Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaque dominus est filius hominis etiam sabbati.] Discipuli domini spicas uellunt, iam non ultra soliti iuxta legem uiuere. Pharisei autem indignantes, à Christo confutabantur, in medium afferente exemplum Dauid, qui propter necessitatem soluerat legem, sub Abiathar pontifice. Fugiens enim Dauid propheta à facie Saulis, uenit ad pontificem illum, & decepit eum quasi à rege missus, rei militaris gratia: & tunc panes propositionis comedit, gladiumque Goliath ablatum obtulit domino. Duo decim autem erant panes, qui quotidie proponebantur super mensam, sex à dextris, & sex à sinistris. Quærun autem quidam, quomodo Euangelista, Abiathar nunc sacerdotem nominat: liber autem Regum, Abimelech illum nominauit. Dicendum igitur, quod fortassis duo nomina habuerit, idemque sit Abiathar & Abimelech. Vel etiam aliter: Liber Regum, sacerdotem dicit esse Abimelech, Euangelista autem pontificem Abiathar.

1. Reg. 22.

unde hæc inter se non sunt diuersa. Erat enim sacerdos Abimelech, pontifex autē Abithar. Disce item iuxta Anagogen, quod discipuli Christi sunt in sabbato, hoc est in animarum quiete. Sabbatum enim quietem interpretatur. Quando igitur quietem habent ab omnibus affectionibus, & à dæmonibus non infestantur, tunc iter faciunt, hoc est & alijs ad uirtutē duces fiunt, uellicantes omnia quæ à terra & humili phantasia germinant. Nisi enim primum quiescat aliquis ab affectionibus, & seipsum in solitudinem conferat, neutiquam alijs ad bonum dux erit.

CAPVT III.



Introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo manum habens arefactam: & obseruabant eum an sabbatis sanaturus esset illum, ut accusarent eum. Erat homini manum habenti arefactam: Excitare in medium. Et dicit illis: Vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an occidere? At illi tacebant. Et cum circumspexisset eos cum iracundia, indolens super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus illius sana, ut altera. Quum discipuli accusati essent à ludæis, eo quod sabbato spicas euellissent, dominus accusantes confutauit, & per exemplum Dauid: magis autem illos confutat, miraculum faciendo: ostendens quod adeo non peccant discipuli mei, ut & ego ipse operer in die sabbati miraculum faciens: ita ut si malum sit operari miraculum, erit simpliciter malum operari necessaria in sabbato: sed miraculum facere in salutem hominis, diuinum est: non igitur præuaricatur qui in sabbato non agit mali quippiam. Eapropter & interrogat illos, num liceat benefacere notans eos ut prohibentes à benefaciendo. Aridam autem dexteram omnis habet, qui opera eorum facit qui ad dextram partem pertinent. Ad quem dicit Christus, Excitare, hoc est surge à peccato: & sta in medium, hoc est in mediocritate uirtutum. Omnis enim uir tus mediocritas est, eo quod sicut mediocritas neq; in defectum, neq; in excessum declinat. Tunc igitur quando se statuit in mediocritate, restituitur dextera eius sana. Vide autem quod dicit, & restituta est. Erant enim olim nobis sanæ manus, hoc est efficax uirtus operatiua, quando nondum fuit transgressio. Vbi autem extenta est dextera nostra ad fructum prohibitum, tunc arefcere coepit ad operationē boni. Iterum igitur & restituetur in pristinam sanitatem, quum in medio steterimus uirtutum.

Egressi uero pharisæi, statim unā cum Herodianis consilium inibant aduersus illum; ut eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & ingens multitudo sequuta est eū à Galilæa, & à Iudæa, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem: & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui quum audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et Iesus iussit discipulos suos, ut nauiculam appellerent sibi propter turbam, ne ipsum premeret. Multos enim sanauerat, ita ut irruerent in eum, quo illū tangerent quotquot habebant flagella. Et spiritus immundi quum illum uidissent, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius dei. & uehementer interminabatur eis, ne se manifestum facerent. Qui erant Herodiani: uel milites Herodis, uel hæresis quædam nuper orta, quæ docebat Herodem ipsum esse Christum, eo quod in illo Iudaicorū regū successio finem habuisset: ita em̄ exponebant prophetiā Iacob, quādo defecturi essent ex Iuda principes, tunc uenturū Christum. Quum igitur Herodis temporibus nullus usquā esset Iudaicus princeps, sed regnaret Herodes alienigena, opinati sunt quidam ipsum esse Christum, & constituta quadam factione attentauerunt perdere dominum. Secedit. Nondum enim erat patiendi tempus. Interim pluribus beneficiebat ab ingratis secedendo. Etenim sequuti sunt eū multi, & sanauit illos, quamuis Tyrijs & Sidonijs, quamuis essent allophyli, proderat. Cognati autē eius eū persequebantur. Ita nulla à genere prouenit utilitas, nisi & boni assint mores. Et alienigenæ quidem à remotis locis ad eum ueniunt. Iudæi uero, quum ad ipsum uenissent, infestantur. Vide autem quā alienus sit à fastu, ne enim negotium ei facerēt turbæ obstrepentes, nauiculam quaerit. Flagella uero, dicit morbos: nam ad sanitatem nobis morbi multum